

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 35. (*Neovidensis* 1808. Nro. 34.)

*Secretum litterarum Commercium Vivos inter
et vita functos*

Vilhelmo Seeward in Elysio.

Ex mundo sublunari.

Elysium-Meum.-DieMartisII. May.1808. (Neov. 22. Apr. 1808.)

Memoratu dignum scriptum Londini publicæ luci editum est. *D. Vilhelmus Spence* ejus auctor est; in eo contendit in M. Britanniam haudquaquam verum emolumentum suo ex commercio redundare, sed ejus salutem, & florentem statum a soli ubertate, & ejus solerti Cultura repetendum esse — quid quæso hoc asserto auctor intendit? probabiliter vulneri opobalsamum infundere, impeditum de præsentis Anglicanum Commercium in Continente Europæo in meliorem partem interpretari, cupit. Sed multo a fortiori laudatum *Vilhelmi Spence* scriptum pro Gallia applicari posset.

Ut id genus litterarum fœtus considerandus? cum Anno 1805 aliud prodierit, quod contrarium demonstrare nititur — eorum demonstrandi labor erat: Angliam aliquanto tempore nihil conservare posse, quam universale Monopolium, eique protinus occiden-

dum fore : ut primum Europæi Status desierint, per Commercium ejus esse tributarii.

Occasione hac, meam te docere opinionem volo, pro argumento accipio statum Angliæ de Anno 1804. asseroque :

Generalis Status Anglicani Commercii de 1804.

Importatio seu emtio :

Ex Coloniis Anglicis &		
Indiis orient	13,420,000	Sterl.
— Hybernia	2,810,000	—
Piscatio & ejus valor	490,000	—
Ex Statibus Americis	4,500,000	—
N. 1. Invectio ex Contin.		
Europæo	7,979,000	—
	<hr/>	
	Summa 29,199,000	—

Exportatio seu venditio.

Ex Manufacturis Angli-		
canicis ad Colonias		
Anglicanas	9,322,000	Sterl.
Evectio ad Status Am.	6,000,000	—
N. 2. Exportatio Manufac.		
Angl. in Continent. Europ.	11,113,000	—
N. 3. Evectio mercium		
utriusque Indiæ in Eu-		
Continent.	31,951,000	—
	<hr/>	
Summa Export.	58,386,000	—
Summa Import.	29,199,000	—
	<hr/>	
Summa tot. imp. & exp. net.	87,585,000	—

Jam vero ex prohibito, & expuncto Anglicano in Europæ Continente Commercio consequitur: Articulos Nro. I 2. 3. ex Commercio plene delendos esse, quoniam nec in, nec exportari possunt. Hi tres Art. universim Summam efficiunt 51,043,000 Lib. Sterl. proin Anglis paullo plus tertia Commercii parte, quod ante Interdictum tenebat, relinquitur. Adnotare non debeo: tres hos deinceps Artic. annuis ex calculationibus, quas Ministri quotannis nationi substernere solent, delendos esse: nisi fortassis prætexeretur: aulam novam in Rio Janeiro, seu Brasiliensem enormem hunc defectum in se recipere velle compensandum; at vero notum est; Americam Portugallicam 800 solum Europæorum millia continere; qui profecto valorem speculantium Anglorum non compensabunt. Nec Calculo huic inserere volumus importationem, & exportationem respectu Statuum Americanorum, cum in hoc argumento nihil adhuc definitum sit: an Anglos deinceps, ut amicos, aut hostes consideraturi sint.

Jam *bilancem* ducamus, adnotemusque, quantum Continens Europæus Anglis dependerit:

N. 2. Exportatio in Contin.	11,113,000	Sterl.
N. 3. Idem	31,951,000	—

Summa export.	43,061,000	—
N. 1. Importatio detracta	7,979,000	—

Quare bilanx Ang. favens 35,085,000 —

Ex his elucet; Continentem Europæum Anno 1804 Angliæ Bilancem in enormi Sum-

ma 35 millionem Lib. Sterling solvisse — (plus 385 millionibus Rhenensium Flor.) Si expendatur: Austriam, veterem Borussiam, & Russiam simul 385 milliones Flor. publicorum reddituum non habuisse, tum profecto res stupenda evadit: quam artificiose Anglia Continentem tam enormi, juxta & spontanea contributione adficere sciverit.

Animadvertendum hoc loco occurrit: merces importativas in præsentī Interdicti statu Continentis non secus, quam exportativas convulsionem perlaturas; quippe: mercatores Angli merces ex utraque India magnis sumtibus non curabunt adferendas, quas distrahere nequeunt, quod ab iis graves teloniales præstationes dependendas habeant; quapropter ærarium anglicorum reddituum magnum experietur defectum oportet.

Ex his perspicitur: per clausum Continentem duas pene Tertias Commercii Angliam amittere; utpote 51,000,000 L. S. ab 87 — manent 36,000 000.

Et *Investionem* mutationi obnoxiam oportet, quæ quidem, si ad dimidium tantum devalvetur, residui manent 18,000,000, qui vix quartam Commercii Anglicani efficiunt.

Navigatio commercii in eadem ratione imminuetur, aut inefficax reddetur. Constat ea Anno 1804. navibus diversæ magnitudinis 19,772 opusque habuit 148,613 nautis — res publica ex hac inactivitate id feret commodi: quod ad obtinendos deinceps *matrosas*, *coactiones*, *violentias*, sic dictas *pressiones*, adhibere non debuerit.

Porro — ex Actis officiosis Parla-
mentariis toti orbi notum est: *Census* nominum
publicorum efficere . . . 28,000,000 St.
Necessariæ tempore belli
impensæ efficiunt . . . 49,000,000 —

Ergo Summa publ. necess. 77,000,000 —

Reditus proin seu Perceptio est:

Telonia	18	milliones Sterl.
Accisa	10	detto —
Chart Sig.	3	detto —
Postæ	1	detto —
Belli taxa	20	detto —

Summa 52,000,000 —

Præstatio ex farre

toto, Lotteria, &

prædiis 8 detto

Summa integr. redit. 60 detto

mutuum 17 detto

77 milliones.

In Anglia semper ad Defectum reddituum
complendum, *mutuum* exscribitur; at si An-
glia partem Commercii sui amittat, cum
nullus effectus absque Causa sit, & partem
suorum reddituum amittat est necesse. Quæ-
sio erit *rationarium* hujus anni? quid per-
cipietur ex *teloniis*, cum nihil evehi possit?

Verum est: Ministros Census publicorum
debitorum in dimidio devalvare posse, at
postea etiam illi, qui facultates suas infra va-
lorem æstimare debent, dimidiam tantum
præstationum partem dependere poterunt, quæ

devaluatio foret primus gressus ad *Casum ærarii publici*.

Dicitur quidem: Angliam sibi met ipsi teneri, proin Casum ærarii ferire ipsam Angliam: hoc profecto idem est, ac dicere: hic vel ille homo ædes suas succendit ad se calefaciendum. Lapsus ærarii Anglicani ruinam mensæ argentariæ produceret, qua ruente, reliquæ quoquæ mensæ argentariæ collabentur quæ in diversis Comitatibus Regni dislocatæ ab ea pendent, & cum ea nexu junguntur; ex quo horribile *Chaos* nasceretur, & quis esset novæ Phœnicis Albionis ex cineribus exurgentis vultus?

Heu! fuge credeles terras, fuge littus avarum!

D. *Vilhelmus Spence* contendit: salutem & opulentiam Angliæ sitam esse, in soli ubertate, nequaquam in Commercio. Sit ita! an vero latet eruditum virum: quod secundum authenticas statisticas adnotationes *Cl. Young*, tertia solum Incolarum Regni pars agriculturæ dedita, contra duæ reliquæ tertiæ soli Commercio devotæ sint; ex hoc vitæ sustentationem capiant? — quod si callet, ut quæso vir eruditus tam temerarius esse, asseverareque valet: Angliam nullum reale lucrum, & emolumentum ex Commercio suo percipere; probabile est, eruditum auctorem a regimine excitatum, rursus manum scriptioni admoturum demonstraturumque: duas illas partes Incolarum a commercio se sustentantes, beato statu gaudere, quod procul negotiis, curis vacui, otio perfrui possent, præ-

eluso Continente eorum Commercio. En-
svavissime Seward! meditationes meæ, quas
ad stigas oras tibi transmittō, novi te mag-
num *Statistam*, igitur de iis *Statue*.

G a l l i a.

Burdigalæ 13. April. Heri circa meridiem
Imperator cum Coniuge, & comitatu pala-
tio egressus: postquam pulcerrimam urbis
partem prætervecti, & naviculam conscen-
derunt, quæ ipsos jam opperiebatur, adver-
sus flumen navigantes e regione Brephotrophii
constiterunt, quod invisere voluisse feruntur,
at per difficultatem in ora limosa excenden-
di prohibebantur; postea secundo flumine
inter tormentorum, & jubilos turbæ in ora
consistentis promovebantur. Ad annonarias
ædes oram ingressi, carpento ad ædes vecti,
commoliendis frugibus destinatas, quæ de
præsenti promptuarium constituunt. Impera-
tor hoc Institutum perlustrabat, tum cum
Coniuge Curiam mercatorum petiit; ubi ab
Individuis Cameræ commercialis ad gradus
excepti, & ad palatium Justitiæ deducti, dum
pegma palatii Curie Mercatorum conscen-
derent, jubilantium inconditæ voces audie-
bantur, ante descensum Congregatos Colle-
gii viros multo cultus, benevolentie pro-
pensionisque argumenti dignati, quod non
leviter animos adfecit. Hodie Majestates per
Monte Marsam *Bajonnam* discessere.

Madrito die 9. Aprilis. Rex Carolus cum
Coniuge, Aranquesio, ad memoriam injuria-
rum, oblitterandam, quæ in hoc loco iis illa-

tes, discessit Escuriale petiturus. Princeps Asturiæ cum Mentore olim suo Canonico *Escotquiz* & Duce *Infantado* crastino Imperatori obviam procedunt. M. Dux Montis agmina copiarum Gen. Ducis *Dupont*, quæ venustate excellent, perstravit.

B I O G R A P H I A.

Seward (Wilhelmus) Eques; natus Londini in Jan. 1747. pater ejus opulentus erat Colonus qui multas impensas in educationem, & itinera sua fecit, & patrimonium ad commode vivendum litterisque pro voluptate vacandum præterea reliquit. Hoc otium eum scriptorem fecit orsus scriptoris aleam 1789 in Octob. cum *Anecdota Magazino Europæo* insertis biographicis, sub titulo *Drossiana*, quæ ad mortem continuavit 1794. Selectiora ex iis sub tit. *Anecdota distinctiorum personarum præsentis, & priorum Seculorum* edidit, quibus 1797. Supplementum accessit, paulo ante obitum *Biographia: by the Compiler of Anecdotes of distinguished persons 2 Voll. 1799.* & in opere. *Whitenall Evening Post*, Articulum *Reminiscentia* suppeditavit, lectionis ubertas, quæ ex scriptis ejus elucet, eum societati amatam reddidit, & dotibus præclaris præditum, — munificus in omnes, liberalis in doctos — membrum erat, Regiæ Societ. & art. antiquit. scrutatorum Londini, denatus 24. Apr. 1799.